



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita B. P. Ignatii Qui Religionem Clericorum Societatis lesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Ipris Flandrorum, 1612

19. Memorabilis item quarundam sororum Mutinensium, ab infestatione
dæmonum per Ignatij merita liberatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45048

xit, Deoque precibus Ignatij recuperata valetudinis gratias egit.

Montischala locus est in agro Senensi, ibi quandam virginem nomine Mnam, filiam Gratiani Galæ, maligni spiritus grauer affligebant, ei frequenter corporea & adspectabili forma apparentes, illicientesque instuprum. Sed cum animaduertent consensus se extorquere non posse, adeo crudeliter eam tutuderunt, vt corpus tumore ac liuore decoloratum relinquerent. Verum hoc eam malo Deus imaginis B. P. Ignatij applicatione liberauit.

Alia
Senensis.

CAPVT. XIX.

Memorabilis item quarundam sororum Mutinensium, ab infestatione demonum per Ignatij merita liberatio.

Sed istud animaduersione est dignius, planioremque facit quam a Deo accepit in dæmones potestatem, eodem hoc anno c10. 10 c. Mutinæ ciuitate Longobardiæ contigit, quod hic exponam eo modo quo ibi perscrip-

scriptum est, atque ad nos inde transmissum, pressius tamen & breuius, Quattuor sunt Mutinæ sorores, iuuenes, honestæ & nobiles, quarum vna matrimonio iuncta, tres reliquæ nubiles, hæ cum alia item nubili puella quam cognatione etiam attingebant, multis iam annis adeò sæuos & atroces atque assiduos insultus immundorum spirituum sustinebant, vt omnes ad commiserationem mouerent. Morbo continenter affligebantur, cui medici mederi non poterant, nec eius naturam conijcere. In altiora loca nunquam deportabantur, vt inde præcipites agerentur: aliàs in secretiora domus cubicula includebantur, vestis discindebatur, capilli spargebantur, corpus lacerabatur: cum periculo vitæ allidebantur ad terram, & vsque eò cædebantur quoad domestici sonitum verberum audiētes, opitulaturi aduolarent. Porrò quamuis probæ virgines hæ fuissent, bene natæ honestæque educatæ, in sermone verecundæ, ab infernis tamen hisce belluis obscœnitatem verborum, horribilia in Deum male

male

maledicta, vastosque ac terribiles vultus cogebantur emittere. Non poterant sine magna vi ad precandum accedere, nec ad Dei laudem verbum audire vel proloqui. Interesse sacrosancto sacrificio grauissimum prorsus & intollerabile illis erat, propterea quod dæmones quasi defectas animo prosternebant, adeoque insanos clamores edere compellebant, vt magna vi adhibita retineri vix possent. Cum se ad pedes sacerdotis abjicerent, peccatorum confessionem ijdem impediebant, cogebantque fœdum in modum linguam exerere in sacramenti sacerdotisque despectum. Sed quod illis grauissimum fuit, indomitæ libidinis stimulo continenter miseras agitabant, erant enim alioqui honestissimæ, ac domi nobiles & earum aliquæ perpetuam Deo virginitatem vouerant. Quin etiam ipsimet adiurati dæmones confessi sunt, eò se machinas omnes contulisse, vt illis pudicitiam eriperent, atque in discrimen salutis animi corporisque adducerent, sed inanes suos conatus fuisse, propter vsum
sacra

sacramentorum, quibus acrius eò se tuebantur, quò grauius adirent periculum. Neque hac tãtorum malorum varietate contenti, eius quę in matris monio erat filium quattuor & decem menses natum occiderunt, atque vt grauius eius animum vulnerarent, ei moriturum denunciarunt eo ipso die quo postea magno matris & totius familię dolore defunctus est. O altam & reconditam rationem iudiciorum Dei! Virgines hæ religiosę & pię remedium quęsiuerant à rebus iis omnibus, quas esse nouerant in vsu quotidiano Ecclesię, vt ab hac hostium generis humani tyrannide liberarentur. Adhibuerant orationes, sacrificia, exorcismos, aquam lustralem, reliquias Diuorum, ceterasque rationes & remedia quę in Ecclesię consuetudine sunt posita. Vix diu fuerant opera sacerdotum & religiosorum virtute & prudentia singulari, vt ab his tanquam bonis medicis curarentur. Sacram ædem Lauretanam frequentabant, ceteraque loca quę religiosa habentur, eaque præsertim in quibus
Deus

Deus solitus in demones potestatem ostendere. Sed hæc frustra tērata sunt omnia. scilicet Deus istam curationem maiori gloriæ reseruabat Ignatij, cuius meritis & orationibus quattuor illæ sorores & his alia cognatione iuncta, diuturnis tormentis liberatæ sunt: & iam incolumitatem, natiuum oris colorem, & mentis alacritatem recuperarunt. Stimulus ille libidinis vim suam perdidit, oratio facilis tam ea quæ est in voce, quàm quæ in sola mente. Inter sunt rei diuinæ magna religione & animi voluptate. Modestia elucet in moribus, colloquia cum domesticis, vt solebant, suauitate condita. Quocirca mirantur omnes qui illas norunt, sed multo magis cùm ante oculos ponunt viam & rationem, qua precibus B. Ignatij his malis ereptæ sunt, atque hæc est eiusmodi.

Rektor Collegij Societatis IHSV Mutinensis miseriam & calamitatem harum virginum cùm inaudisset, re ex intimo animi sensu Deo commendata, diuinitus admonitus (vt res ipsa monstrauit) earum domum adiit secum

cum ferens impressam B. Patris imaginem, quam pietatis causa seruabat, ingressus est earum cubiculum eo tempore quo sacerdos dæmones adiurabat, nullique penitus imaginis mentionem fecit, affixit eam parieti atque orationi institit. Tum subito tartarei spiritus insanos clamores, horribiles edere eiulatus, Ignatij fundatoris Societatis adesse imaginem, qua summo cruciatu conficerentur. Nec à petulantibus quidem maledictis temperabant: nunc glabrionem, nunc claudum, nunc cæcutientem appellantes. Cur autem his nominibus eum vocarent fateri iussi, responderunt, glabrum se nominasse propter caluitium & raram barbam, claudum verò propter tibiaram ex altero crure suffracto inæqualitatem; postremò cæcutientem propter vberrimum fletum, quo de sensu videndi periclitatus fuerat: querebanturque hominem longinquum & alienigenam inde vsque ex Hispania venisse, vt se implacabiliter & viuus & mortuus persequeretur. Atque eo ipso tempore
multi

multi tenebrarum principes confessi
virtutem Ignatij editisque horrendis
vlulatibus corpus vnus sororum e-
gressi sunt, ea humi afflictæ ac velut
mortua relicta. Ex eo die reliquæ so-
rores earumque mater & vniuersa
domus colendi B. Patris amore teneri
cœperunt, spe concepta valetudinis
optatissimæ recuperandæ, adeoque
natalé eius diem solemnem ac festum
agendi, pridieque ieiunandi voto se
obstrinxerunt. Huic amori consecuta
res noua incrementum dedit. Nam
Augustinus Viuado Pater Societatis
per id tempus Roma Mutinam profi-
ciscens ad concionandum, tulit secum
lipfanothecam, in qua reliquiæ B. Pa-
tris erant inter ceteras, quibus in cu-
biculo sororum occultè collocatis,
dæmones mox has Ignatij reliquias
esse vociferati sunt, atque addiderunt
vnde & à quo essent allatæ. Intolera-
biles autem inde cruciatus se perfer-
re confitebatur, se cunctos ex iis cor-
poribus eiusdem supplicatione de-
turbandos, Deumque statuisse nomen
eius in terris gloria illustrare.

Alio

Alio quopiam die præcipuus quidam demon antequam egrederetur illudit quidem Ignatio, atque in eum maledicta congeffit. Sed imminente discessu Deus eum magno suo pudore fateri ossis eius particula se aduri, tertioque sanctum appellare adegit: Sanctus, inquit, Ignatius, Sanctus Ignatius, Sanctus Ignatius me sua animi demissione, potentia, pietate qua fuit in sanctissimam Virginem expellit. Alij cum celare vellent se per Ignatium pelli, mallentque depulsionem hanc aliis sanctis attribui, quos singulari cultu sorores illæ prosequabantur, in egressu tamē se mentitos esse fateri cogebantur, & Ignatium ornare gloria ac dicere, solius eius opera in hac eiectione Deum vti velle. Aliās insanos clamores edebant, atque exeuntes; Vbi est, inquiunt. Lucifer potestas tuā quandoquidem chartæ fragmentum sacerdotis istius imagine consignatum nos eicit, neque potes obsistere? Aliquando cum essent inani conatu toto die sæpius adiurati, se non abituros esse dicebant, nisi subsidium

inuoꝝ

inuocaretur Ignatij, cumque sacerdos diceret: Impero vobis per merita B. Ignatij vt exeatis, illi nulla interposita mora precipites rabie ac furore cedebant. Ita subinde loquebantur: Ah, ah Deus, itane verò nos gloria spoliās, vt eam isti sacerdoti claudo rugosoque tribuas? Quam efficacitatem impressa B. Patris imago eiusque reliquā habebant, eandem & ipsius vitę liber habere visus est. Cū enim ad aedes harum virginum deportatus esset ad eum legendum, & vel imponeretur earum capiti vel pectori, vel aliquod capitulum legeretur, tartareos spiritus cū mirē torquebat, tum ad abeundum, cedendumque Dei voluntati compellebat, qui mirabilis est in sanctis suis, datque vim conculcandi leonem & draconem, deque omnibus demonibus triumphandi. Ad duos menses durauit iste conflictus, donec referretur plena victoria. Vt enim præclare D. Bernardus ait agens de duobus dæmonibus per sanctum Malachiam eiectis, istam moram & tarditatem non attulit inopia potestatis, sed

sed statutum Dei, vt omnibus fieret inimici potestas apertior, & sancti qui eum exturbabat victoria clarior.

C A P V T X X.

*Verborum Ignatij mira in tractandis fle-
tendisq; hominum animis efficacia.*

Nec verò solùm in dæmones, sed etiam in animis hominum quibuscum agebat hanc diuinitus auctoritatem visus est accepisse. Fuit enim vis illa mirabilis, quam Deus eius orationi tribuit, quæ humana maior apparebat, animosque permouebat non eloquentia verborum, sed spiritus rerumque quas tractabat grauitate. Itaq; homines duros & obfirmatos mollebat vt ceram, adeoque flectebat, vt seipfos & suam mutationem mirarentur. Molestias & angores duobus sæpe verbis leuabat, ex animis ægritudines depellebat, iacentes excitabat, eisque pacem & securitatem dabat.

Iudæus quidam Isaac nomine, fidei mysteriis imbuendus domi nostræ morabatur, quia Christiana sacra ample-
cti